est quia prior me erat. Qua causa venerit, iohannes ipse testatur: ec-
ce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sic ergo generatione u-
tramque cognovimus, et utriusque unum, et causam quia venit adverti-
mus, ut peremptis mundi peccata suscipiens peccati labe
et omnium morte ipse qui mori non posset aboleret. Et sequens est ut
nunc quoque sanctus lucas evangelista nos doceat, et vias domini secundum car-
nem crescentis ostendat. Nec quemquam movere debet, quod altio-
ri in filio iohannis infantiam diximus praetermissam, christi vero infan-
tiam asseruimus esse descriptam. Non enim omnium est dicere: factus sum in-
firmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam; omnibus omnia factus
sum; neque de quoquam ita alio dici potest, quia vulneratus est propter ini-
quitates nostras, et infirmatus est propter peccata nostra. Ille ergo parvu-
lus, ille infantulus fuit, ut tu vir possis esse perfectus. Ille in-
volutus in pannis, ut tu mortis laqueis absolutus sis. Ille
in praesepibus, ut tu in altaribus. Ille in terris, ut tu in caelis. Ille alium
locum in eo diversorio non habebat, ut tu plures haberes in
caelestibus mansiones. Qui cum dives inquit esset, propter vos pauper
factus est, ut illius inopia vos ditaremini. Meum ergo paupertas
illius patrimonium est, et infirmitas domini mea virtus est. Malu-
it sibi egere, ut omnibus habundaret. Me illi infantiae va-
gientis abluunt fletus, mea lacrimae illae delicta laverunt.
Plus ergo domine iesu iniuriis tuis debeo quod redemptus sum, quam operi-
bus quod creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. Sed ne-
mo intra usum corporis formam omnem divinitatis includat.
Alia natura est carnis, alia divinitatis gloria. Propter te infirmitas,
in se potentia. Propter te inopia, in se opulentia. Noli hoc esti-
mare quod cernis, sed quod redimeris agnosce. Quia in pannis est vi-
des, quia in caelis est non vides. Infantis audis vagitus, non audis bo-
vis dominum agnoscentis mugitus. Agnovit enim bos possessorem
suum, et asina praesepe domini sui, immo praesepium dixerim, sicut scri-

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 45 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/it/sbe/0166/45)